Reiss, Georg Andreas
Jena.

CHRISTO DUCE & AUSPICE CHRISTO

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

SUFFUSIONE

Quam

SUMMO ADNUENTE ARCHIATRO

decreto atque authoritate

ILLUSTRIS & GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

In celeberrima ad Salam Academia

SUB PRAESIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI atque EXPERIENTISSIMI

DN. JOH. ARNOLDI FRIDERICI

PHIL. & MEDIC. DOCTORIS, ANATOM. CHIRURG. ac BOTANIC. PROFESSORIS PUBL. CELEBERRIMI, MEDICI PROVINCIAL. SAXO-ALTENBURGICI, p.t. DECANI SPECTATISSIMI

DN. PATRONI PRÆCEPTORIS ac PROMOTORIS

perpetuô amoris & honoris cultû devenerandi, colendi

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA, PRIVILEGIA

DOCTORALIA

MORE MAJORUM SOLEMNI AC LEGITIMO CAPESSENDI

publicæ Philiatrorum censuræ exponit

GEORGIUS ANDREAS à Reiß

Molhusâ-Thuringus.

IN ACROATERIO MAJORI

Ad diem Maij. Horis pro- & pomeridianis

JENÆ, Typis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI. M. DC. LXX.

JUVA JOVA.

EGregia eſt Democriti, cujus in epiſtolà ad Damagetum meminit Cous, ſententia; ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐστί. *Totus homo ab ipſo ortu morbus eſt.* Nulla pars labis expers. ἀποκτείνει ἡμᾶς τὸ θερμὸν, ὅπερ ἔφυσε τὰ σώματα, *calor interficit, qui corpora produxit*, dum ἐπίκτητος acquirit novas vires, febrile tandem concipiens incendium. Senſuum omnium conceptaculum, ut & cordis flabellum, à naturâ ad hujus refrigerium inſtitutum, ſuos patiuntur manes. ἡ τῆς ζωῆς ἀκρόπολις, vitæ arx primaria Cor neque ipſum immune eſt ab hoſtilibus morborum inſultibus. Jecur principatûs laude olim celebre, ſæpè languet: Imô tota œconomia nunquam non periclitatur.

Miſerè item affliguntur OCULI, duo iſta Microcoſmi Lumina, quibus nihil pulchrius fabricavit Natura, nihil artificioſius, nihil mirabilius, delectabilius nihil, quos haud injuria vocites lucidiſſimum pulcherrimumq; Microcoſmi ſeu humani corporis ædificium, Oculi lucis uſu diſtingunt à morte vitam, quæ ſi ejus profunditate privetur, miſerabilis ærumna, mœrore, triſtitiâ & tenebris eſt perfuſus carcer,

quô anima detenta neq; ſolem intueri, neque quid ſumendum fugiendumve ſit, obſervare poteſt, & ſi dixerimus, illud quod Homo eſt in mundo, Oculum eſſe in homine, nihil abſurdi protulerimus.

Variis tamen affectibus eſſe obnoxios, ipſa quotidiana, rerum omnium magiſtra, docet experientia. E quibus inpræſentiarum unum duntaxat, eumq; maximè gravem SUFFUSIONEM nimirũ fuſius paulò examinare, ejus materiam altius inquirere allubeſcit, locoq; Inauguralis ſpeciminis publicæ eruditorũ cẽſuræ expõere.

Poſtquam enim ſuaſu Parentum, conſanguineorum & Patronorum meorum μαρτυρίου τίκην, ab Illuſtri & Gratioſiſſima Facultate Medica, hâc in Salana, ſummos in medicina honores mihi conferri modeſtè petii. Exantlatis itaq; tum tentamine primo, tũ examine ἐξωτερικῷ illo, Licentia publicam conſcendendi cathedram mihi data eſt. Ardua quidem provincia, ſed in difficili experiri vires in laude futurum ſpero.

Summus Archiater conatibus benedicat, mentemq; ſpiritu ſapientiæ irriget & vegetet, ut deductâ ad portum cymbâ, pleno meridie intuear veritatem, & opulentiſſima medicorum præſidiorum gazâ inſtructus, proximo meo operam cum fructu navare poſſim.

CAPUT

CAPUT I
exorditur definitionem nominalem.

INitium tractationis affectus propositi ejus appellatio esto.

NOMINATUR autem SUFFUSIO Graecis ὑπόχυμα vel ὑπόχυσις, ab ὑπὸ quod est *sub* & χέω quod est *fundo*, quod tamen nomen SUFFUSIONI perfectae solùm competere judicat. *Greg. Horst. decad. 3. probl. therapeut. quaest. 3.* Germanis der Star. Unde autem his der Star appelletur, animus sciendi cupidus inquirere posset: An ab ave, quae sturnus dicitur der Star? Sic quidam atteſtante in ſua ophthalmographia *Barthio part. 4. pag. 43.* ſtatuunt, quod qui frequenter ſturnorum carne, cibi loco, item aqua ex quâ ſturnus biberit, utantur, hujus morbi reddantur participes. Prius ut ſuo modo ſtare poteſt: ita poſterius nobis videtur dubium.

An quod oculi quaſi Starrende intuentibus appareant: Germanicum vero hoc nomen der Star antiquitus etiam fuiſſe uſurpatum, ipſae sacrae teſtantur literae. *Tobiae enim 11. v. 14. legitur.* Tobiam quoque hoc morbo laboraſſe. Utrum verò vera fuerit ſuffuſio, noſtri non eſt jam inquirere.

Quoad SYNONIMIAM *CATARRACTA* appellatur, fortean ideò, quia quemadmodum catarracta ante portas ita delabitur ex alto, ut aditum intercludat, ita & hic humor condenſatus & pelliculae inſtar ſolidus, ita delabatur ante portam oculi, ut ple-

narius

narius speciebus visibilibus introitus, ut & spiritibus visivis exitus denegetur.

Hispanicum Barbarum hoc nomen dicit *Christoph. à Vega de art. med. l.3. s.3. c. 8.* Aquæ descensus aliis audit. Cataclysmum oculorum nominat *Lævin. Fischer. in corpore medic. imperial. l.3.tit.18.* Chirurgi & plebei quoque condensatum humorem aspicientes das Fell / für dem Auge appellant. Barbare quoque guttam serenam dici vult *Paul. Zach.l. 8. quæst. medic. legal. tit.1. quæst. 8.* Imaginatio vulgo etiam audit. Præterfusionem ac affusionem dicit Aetius. Cur ophthalmotomi appellitent den Wasser-stern / explicat præcipue *Plater. l.1.prax. c. 8.*

In HOMONYMIA, prout latiùs aut strictiùs sumitur nihil singulare hic recensendum venit. Reducimus hûc quod *Lazar. River. prax. medic. l. 2. c. 4. de suffus.* adducit. Dum censet latè quidem omnem talem læsionem suffusionem appellari, strictiùs tamen divisionem nominis juxta affectus gradus dari cum aliis judicat. In quibus affectus incipit, & ita levis sit visus obtenebratio, *suffusionem* dici; Quando ulteriùs progrediatur affectus, & in pupilla aliquid collectum, ut aqua appareat, *aquam* peculiariter nominari; si denique aqua planè concreta, & visio ablata; *cataractam* insigniri. Ita *Heurn. l. de morb. ocul. c. 8.* cataractam dici censet, cum malum antiquatum, ὑπόχυμα cum recens. Addit præterea suffusionem duo significare, vel levem scotomiam, vel humorem in pupilla concretum. *Fischerus* cum quibusdam *imaginationem* dicit si in principio, quando tela aliquantulum apparet *aquam descendentem*, quando firmari incipit *guttam*, quando planè

con-

confirmata *cataractam*. *Nicol. Piso libr. 1. de cognosc. ac curand. morb. c. 36.* quando Arabibus ac vulgò medicorum, aquam, Guttam, Cataractam nominari adducit, eo ipso adnectit, hanc nominum diversitatem pro affectus varietate convenire. Explicatio ibi fusius videnda erit desiderantibus.

CAP. II
realem definitionem submitit.

Rem ipsam agressuri ordinis lege DEFINITIONEM nostri affectus REALEM uberiori considerationi præmittimus. Hæc cum juxta sentiendi diversitatem à variis varie tradatur, in sequenti adquiescere consultum censemus.

SUFFUSIO est *obstructio pupillæ ac præcipuè ibi decumbentis humoris chrystallini, cum læsione & ablatione visionis, à concretione humorum aut vaporum intra corneam ac vicinas partes decumbentium ac incrassatorum orta.*

Obstructionem *Generis* loco dum posuimus, sequimur *Galenum*, qui *6. de plac. Hipp. c.7.* hanc opinionem probat, cui cum aliis ad sensum præbet Senert. *in praxi.* Consentit quoque *Hier. Capivacc. l. 1. pract. c. 38.* quando definit legitimam suffusionem, obstructionem foraminis rhagoidis, ut visio lædatur. Oppilativam ægritudinem ideò dicit *Avicenn.*

Concretionem multi generis loco ponunt, cum quibus quoq; facit *Plempius ophthalmograph. l. 5. c. 24.* Videtur tamen, ipsa concretio humoris, quatenus talis affectum non repræsentare, sed ut causam primariam effi-

cere,

cere ut concreta materia obſtruat pupillam oculi, ſic que radiorum viſivorum ingreſſum impediat, quo facto multo minus horum emiſſio ac repulſio fieri poteſt.

De loco circa quem fiat obſtructio in ſequenti capite ſolliciti erimus ; circa pupillæ regionem eſſe, jamdum indigitavimus.

Cum læſione viſus fieri & ablatione, ipſe effectus hujus affectus teſtatur.

Humorum æquè ac vaporum mentionem fecimus, tanquam cauſarum, quò tam genuinam, quàm ſpuriam conſideremus in capite de cauſis explicandam.

Morborum claſſi adſociandum eſſe hunc affectum, unanimis eſt autorum confeſſio, qualis autem ſit, an *in via*, an *numero* ? de hoc litigant.

Morbum *in numero* eſſe, ex Galeno fatetur *Vega loc. citato*. ſimiliter *Pereda. Com. in Mich. Joh. Paſchalij l. 1. de cur. morb. Schol. ad c. 19.* morbum in numero auctô dicit, quia ibi adſit humor in oculo, qui ad ejus actionem non neceſſarius, ſed ſuperfluus ac impediens. *Hieron. Capivacc. l. cit.* vult morbum in numero ſuffuſionem eſſe juxta *Galen. l. de differ. morb. c. 8*, ſi intelligatur de completa, in quâ materia morbifica inſtar membranæ planè concreta. Omnem autem ſive perfecta ſive imperfecta ſit ad morbos in numero reduci deberi ibi demonſtrat. Conſimilis eſt opinio *Alex. Maſſar. l. 1 Præl. Pract. c. 27.* ubi morbum malæ conformationis in numero abundante toto genere præter naturam, dicit.

Contrariantes ſe exhibent non pauci, qui morbum *conformationis in via* eſſe oſtendunt, ex ea præcipuè ratione, quia opponatur hic aliquid pupillæ tanquam viæ, per quam ſpecies viſivæ ingrediantur, quod actiones

nes impediat. Huc inclinat etiam *Bened. Sylvat. l. 2. consil. ac respons. medicin. 4.* ut & *cent. 1. obs. c. 9.* ubi morbum in via à crassioribus vaporibus factum dicit. Ut plures autores non adducamus, placet nobis decisio *Plempii*, qui, sicuti *Nicol. Piso. 1. de cogn. & curat. morb. c. 36.* sentit, in *Ophthalmogr. l. 5. c. 24* neutram sententiam damnandam censet; nempe morbum *in via* vocandum judicat, quatenus aut humor in oculo aut extraneus adveniens, plus nimio crassus affectum excitat. In *numero* morbum esse subnectit, si humor ita incrassatus, ut pelliculam vel tunicam repræsentet, sic enim tanquam superfluam membranam se habere. Addit præterea etiam eatenus morbum in numero dici posse, quatenus humor adsit extraneus, licet non concretus, qui dum superfluus sit, morbum in numero abundante causetur. Si autem ab humore naturali mutato fiat malum, non posse morbum in numero dici, fatetur.

Adnectere allubescit quæstionem, quam *Paul. Zachias* movet *l. 2. quæst. med. legal. t. 1. quæst. 4.* An suffusione imperfecta præcipuè laborantes, cum culices, filamenta nubeculas ac alia ante oculos versari imaginentur, pro insanis habendi? Negando cum ipso respondemus, licet contrarium velint quidam.

CAPUT III

aggreditur subjectum

SUBJECTUM nostri affectus duplici modo consideramus juxta consuetam methodum.

ADÆQVATUM oculum esse, partem il-

lam

lami quæ nobilitate nulli cedit, extra dubium ponendum.

PRIMARIUM verò quænam oculi pars constituenda, non eodem modo autores designant.

Humorem albugineum incrassatum pro subjecto principali habet *Galen. 1. de caus. sympt. c. 2.* Melius *crystallinum* vicem subjecti sustinere censet *Magnif. Rolfincius Patronus ac Præceptor summe devenerandus in ordin. ac meth. med. spec. consultat. l. 3. cons. 4.* Inter humorem crystallinum ac corneam tunicam residere humorem peccantem, judicat *Zachias l. 8. tit. 1. quæst. 7.* Cui adsensum præbet *Vega l. cit.* Similiter *Horstius decad. 3. probl. therap. quæst. 3.* adductis prius variis aliorum sententiis, totum illud spacium quod inter corneam ac crystallinum est, pro loco habet in quo fiat concretio: ut & *Andr. Laurent. Ferrius. de nobilit. visus.* Inter corneam ac uveam tunicam sitam pelliculam, vidit *Joh. Rhodius cent. 1 obs. 51. à Franc. Plazono* in theatro anatomico Patavino, ostensam.

Inter corneam ac uveam interdum infigi vitiosum humorem, qui ferè insputus dicatur, & sit effluxio vitrei ad aqueum, aut à vitreo incipiens corneam suffundens, *Hieron. Bardi in Medic. polit. Catholico c. 4. art. 1* notat. Aliter sentit *River. prax. med. l. 2. c. 4. de suffus.* dum humorem aqueum in qualitate peccantem, ac ab humore extraneo se infundente incrassatum, ut subjectum sistit. Nos ex sententia ultra laudes positi D. *Rolfincii* judicamus, crystallinum humorem præcipuè lædi, prout circa eum humores aut vapores concrescant ac visionem impediant.

CAPUT

CAPUT IV

inquirit in causam præcipuè immediatam, ac mediatas proximiores.

QVò faciliori viâ ad curationis scopum deveniamus, causarum meritò cognitionem instituimus.

IMMEDIATA & proxima, quæ continens *Sennerto* ac aliis dicitur, humor à permultis autoribus dicitur, aut vapor obtenebrans. Nos considerantes, humores ac vapores prout per se adsunt, non excitare affectum, sed prout concreti sunt ac incrassati, & sic crystallinum obtenebrant, *concretionem* seu incrassationem talem pro primaria causa habemus.

MEDIATA *proximior* humores existunt præcipuè in genuina. *Vapores* insimul, præprimis in spuria, licet in vera quoque concurrere posse non sit negandum.

Quales humores hic peccent sciendum. Ipsam materiam concretam qui considerat, videt facile, crassos esse pituitosos ac ex parte viscidos, tenues siquidem quales serosi non adeò facilè per se concrescunt. Si vero serosus cum pituitoso jungatur, in spacium inter corneam ac crystallinum fundatur, cum aqueo humore oculi permisceatur, causam veræ esse docet *River. loc. cit.* Sicuti spuriæ ortum asserit, ex vapore à ventriculo ac aliis partibus eò delato. Consimilis est opinio *Joh. Mich. Paschalii*, qui *l. 1. de morb. curat. c. 19.* causam primariam constituit humores crassos; Ob nimiam

miam cruditatem inter corneam ac cryſtalloidem coacervatos *Lævin. Fiſcher. loc. cit.* & bilioſos etiam humores hunc affectum excitare poſſe docet, quando de ſpeciebus ſuffuſionis diſſerens dicit, quod alia ſit ex pituita gypſea, & alba dicatur, alia ex flava bile crocea nempe, alia ex viridi bile, ubi ſpectra ante oculus ſint viridia, alia ex bile porracea nata quæ cinerea nominetur, alia ex æruginoſa ac atra biliari permixta, quæ cærulea appelletur.

De *Vaporibus* idem ſentiendum erit, craſſi ſiquidem, qui facilius coagulationem patiuntur præcipuè peccant. *Hieron. Bardi loc. cit.* utplurimum ſuffuſionem fieri propter vapores calidos, ex humore oculi aqueo exſpirantes ac cryſtallino cenſet, calido præagente factô impetû, qui vapores ſi incraſſantur, nebulam ac ſuffuſionem inferant. Addit etiam *in actis Tobiæ & morbis oculorum*, quod ſtercus hirundinis ſuffuſionem excitarit, quatenus vim habeat vapores congregandi ac coagulandi, hancque ſuffuſionem quæ fit à vaporibus humorum oculi, veram dicit, ſicuti ſpuriam nominat, quæ ex vaporibus ventriculi.

Viæ per quas humores æque ac vapores ad partem affectam deveniant, conſuetæ ſunt vaſa venoſa, æque ac arterioſa, præcipue ea quæ ad oculos deducuntur. *River. loc. cit.* humores à cerebro ad oculos fluere dicit per venas, quæ ferantur à pericranio ad conjunctivam tunicam, inde ad corneam ac uveam, vel à meningibus cerebri, à quibus rami ad oculorum membranas deriventur, tunicam uveam, & nervum opticum adeuntes. & fundant humores per tunicam rectiformem & araneam, in humorem cryſtallinum, cujus ſuperficiei materia ſuffuſionis adhæreat. Aſt hæc ſententia dubiis involu-

involuta, quantum poteſt admittenda, vix ex toto.

Per *cogeſtionem* ac *fluxionem* humores hosce colligi, certum. Nec immerito diſſentit hic *Plemp. in ophtalmogr. l. cit. à Platero*, qui *l. 1. pract. c.7.* negat, quod ab ullo humoris influxu fieri poſſit ſuffuſio, ſed ſemper ab humore aqueo tenacitatem quandam adipiſcente.

Aliam cauſam primariam adducit *Joh. Bapt. Helmont. tr. de retentis*, ubi aſſerit, quod cataracta, æque ac ſuffuſiones aurium & dentium dolores oriatur, ſi *latex* vel digeſtionum vitia reperiat, vel aliena ſecum eò deferat. Aliis coagulatio ⊖is aut ♀ris ut cauſa inſervit.

Adnectimus huic capiti, quod quærunt quidam. An nempe ſuffuſio fiat in inſtanti? *Fernel. in pathol. c. de ſuffuſione* aſſerit cum quibusdam, & ſe ipſum talem in inſtanti factam vidiſſe teſtatur. Sed negat hoc contra eum *Sylvatic. cent. 2. obſ. 7.* ex eâ ratione, quia ad producendam ſuffuſionem neceſſum ſit, ut humor ſenſim confluat, aut vapor, qui aut humorem albugineum alteret & incraſſet, ſicque ſpuriam ſuffuſionem inferat, aut intra corneam & albugineam concreſcat, in verâ, quam concretionem in inſtanti nullatenus fieri poſſe credit. Nos quoque de tali generatione in inſtanti valde dubitamus.

CAPUT V

progreditur ad cauſas mediatas remotiores

REMOTIORUM cauſarum examen inſtituentes, conſideramus eas, quatenꝰ ſub ſupernaturalium,

nonnaturalium, aut præternaturalium censum veniunt.

SUPRANATURALEM vindictam divinam esse, sicuti in aliis morbis ita & hic, constat. Incantationes multum valere interdum, plurium autorum confirmant testimonia ac observationes. Contagium per aspectum huc referendum.

NATURALES causæ sunt *temperies* tam totius quam partium, ad frigidum & humidum inclinans, *Ætas* ad senilem descendens præcipuè quidem habet quod metuat, juniori tamen in ætate constitutis eadem miseria contingit. Duodecim annorum puerum hoc affectû laborâsse recenset *Poter. cent. 1. obs. ac curat. obs. 64.* *Oculorum constitutio ac conformatio* huc quoque facit. Sive enim nativa sit debilitas ac indispositio, sive adscititia, per multas lucubrationes contracta; ab utrâque hæc læsio contingit. *Conformatio* elatior ac prominentia specialiter accusatur, uti cum aliis *Sennert. part. 1. prax. p. 854.* docet. Respexu *sexus* videtur uterque habere quod metuat. Muliebrem tamen, in quo humiditates pituitosæ abundantiores, præ virili sæpiùs affligi, quorundam est opinio.

NONNATURALES sex dictæ res, copiosè conferunt ad gignendum malum. *Aer* nebulosus malus, maritimus culpatur propter variorum ventuum afflatum. Ita refert *Franc. Valles. com. in l. 1. Hipp. de morb. popular. s. 2.*, quod ex boreæ afflatu maximè hanc noxam incurrant oculi. In *cibo* ac *potu* commissi errores juvant. Salina ac leguminosa sæpius adhibita nocent. Usus ceparum allii ac raphani excitat juxta *Saxon.* ac *Massariam.* Ita cibos crassos, fumosos ac flatulentos vapores ad oculos mittentes incusat *Petr. Forest. l. 11. obs. 31. in scholio.* Potus flatulentus, multas etiam exhalationes qui

ad ca-

ad caput mittit, similiter nocet. Tabaci usus abundans huc reducendus.

Nimius motus malus, cum humores æquè ac vapores agitet, ac ad caput propellat. Oculi etiam in videndo indecenter moti, sæpe ad malum dictum faciunt.

Vigiliæ præ somno hic nocere videntur, præcipuè quæ lucubrando fiunt ad lucernam in multam noctem, debilitant siquidem oculos, ut humores vitiosi eò liberius nullo dato obstaculo, influere queant.

Excretiones intermissæ, præcipue quæ per nares, aures aut os fiunt, sæpe in causa sunt, stagnantes siquidem tunc humores, facilè ad oculos fluunt ac concrescunt.

Nimiæ evacuationes etiam immunes non abeunt. Ita coitꝰ nimiꝰ accusatur â *Sennerto, Fonseca, Smitzio* ac aliis.

Animi pathemata præcipuè tristiora, quatenus ad humorum crassiorum generationem faciunt, hic excedunt.

PRÆTERNATURALES causæ variæ concurrere hic possunt. Has utplurimum antecedentes *Christoph. à Vega cit. l. 3. art. med.* nominat dolorem capitis, catarrhos, effluxus lacrymarum, nimium vomitum, & violenta externa oculos lædentia. Ita ab intempestivo usû topicorum, in defluxione ad oculum cum rubedine ac dolore applicatorum, coagulationem humoris, ac ita suffusionem ortam observavit *Heinr. ab Heer.*

CAP. VI

differentias proponit.

DIFFERENTIÆ suffusionis etiam sunt notandæ

dæ, cum in curatione & præsertim in indicationibus multum juvent.

Hæ consuetô ordine petuntur à Genere, subjecto ac causis.

GENERIS respectû, differt incipiens à consummata, genuina à spuria. Ita inter magnam ac parvam distingvunt *Vid. Vidius. curat. membrat. l. 4. c. 1. & 2. & Ludov. Mercat. lib. 1. cap. 10. de curat. morb. intern.* Magna ibi dicitur si tanta materiæ adest copia, ut totam obtenebret pupillam, parvaècontra, si pars quædam solum obnubilata, remanente ex parte visione. Convenit hæc divisio cum illa, quam *Gordon. loc. cit.* instituit inter perfectam ac imperfectam. Quoad *colorem* differentiæ extant. Ita alia dicitur alba, cœrulea, nigrà, glauca, flava. Sanguinei coloris dari volunt ii, qui ex sanguine genitam credunt, qui tamen refutantur à *Mercuriali l. 1. prax.*

Circa SUBJECTUM paucæ dantur distinctiones, *Sennert. l. 1. prax. p. 836.* distinguit inter *intimiorem*, quæ sedem habeat post uveam inter humorem aqueum ac crystallinum : ac *exteriorem*, quæ sit inter corneam ac uveam. Inter eam quæ totam pupillam occupat, & illam quæ partem ejus, quoque divisio admitti poterit.

CAUSÆ tòt exhibent differentias, quòt earum dantur. Ita inter *veram*, quæ fit juxta *Paræum* à pellicula ex humore, & *notham*, quæ fit ex vaporibus, distinguit *Smizius in med. pract. p. 179.* Ita alia ab internis alia ab externis ortum trahit.

Respectû SYMPTOMATUM quoque differētias constituunt autores, quas à conjunctis dicit *Piso.* Sic alia cum dolore ac inflammatione, alia sine hisce.

CAP. VII

circa diagnoſtica ſigna ſollicitum.

SIcuti differentiarum à medico debet fieri animadverſio : ita etiam SIGNORUM non minor habenda eſt ratio. Reperiuntur autem illorum tria apud medicos genera : videlicet quædam præſentem affectum indicantia, quædam diſtinctiva, quædam prognoſtica, de quibus ordine differendum.

DIAGNOSTICA itaque GENERIS ratione, indicantia affectum præſentem, quatenus adhuc in fieri ac *incipiens* eſt, â Pergameno ac aliis propoſita ſunt apparentiæ quædam culicum, nubecularum, pilorum, telarum aranearum ac ſimilium, quæ omnia ante oculos verſari, laborantes imaginantur. Benè tamen de his notant *Bened. Sylvatic. in conſ. ut & River. loc. cit. ac in obſ. de ſuffuſ.* quod hæc ſigna non ſint patognomonica, & ſemper poſt harũ præſentiam ſequatur ſuffuſio. Si enim ultra dimidium annum apparuerint, & ſuffuſio non ſequatur perfecta, nihil de affectû metuendum cenſent. Quò etiam inclinat *Thom. Fienus ſemiotic. part. altera.* Fuſius quoque ſigna incipientis ac auctæ juxta Aetium, videre licebit apud *Mich. Joh. Paſchal. cit. l. 1. curat. morb. cap. 19.* Speciale ſignum ac ſingulare eſſe atteſtatur *à Vega loc. cit.*, ſi à ſomno dum liberentur patientes, ſplendorem ante oculos habeant cum viſus debilitate.

In *confirmata* ac perfecta præter dicta jam ſigna aucta, in pupilla quoad colorem fit mutatio, ut juxta

Capivaccium, *Paræum. l. cit.* ac alios, vitro contaminato similis interdum appareat. Similiter si non amplius translucens aliquis color adsit, sed alius variæ figuræ, â diversitate humorum adfluentiæ productus. Hinc *Joh. Baptist. Fienus tr. de nobil. visus*, principalia inter signa colorem in oculo suffuso apparentem ponit.

SUBIECTUM quoad, ab aspectu oculi & consideratione pupillæ quædam desumi possunt, quæ tamen pauca sunt.

CAUSARUM examen si instituitur, facilè signa apparebunt, an per essentiam, an consensum sit malum: an à causis internis genitum, aut ab externis violentis prognatum.

DISTINCTIVA signa addere necessum ducimus. Quia nonnullæ affectiones suffusioni haud videntur absimiles, ideo eas hic addendas censemus: Sunt autem præcipuè sequentes. 1. Notha videlicet suffusio. 2. Glaucoma. 3. Caligo. 4. Nebula. 5. Albugo.

A *Notha* distinguitur. Quod scilicet hæc fiat, 1. Per consensum aliarum partium, ut quando vapores ex ventriculo & aliundè ascendentes symptomata veræ suffusioni similia causantur.

2. Non raro in verâ alter tantum oculus afficitur, in spuria uterque.

3. In illâ Symptomata diu permanent, in hâc verò facilè profligantur.

A *Glaucomatè* distinguitur suffusio. 1. In illo humoris crystallini fit densatio & exsiccatio, unde humoris nativi in glaucum sequitur mutatio.

2. Glaucomate laborantes nec exiguam quidem possunt videre lucem : quod etiam non semper suffusione laborantibus competit, uti fusius *Piso l.cit.* explicat

A *Caligine* autem suffusio distinguitur : quia illa utplurimum senes ob crassitudinem tunicæ corneæ vexare solet : hæc verò infantibus, pueris, adolescentibus, verbo, omni ætati convenit.

A *Nebula* prætereà eatenus differt, quatenus res eo colore, quo humor adhærens tunicæ tinctus est, videntur, in suffusione vero nequaquam.

Denique *ab albugine* : quia quoque in ea ut in glaucomate nulla videtur lux : læsioque in externâ corneæ superficie apparet : in suffusione verò vitium intimius est, semperque lux videtur. *Vid. Mercurial. lib. 1. prax. pag. 143.*

CAP. VIII
prognostica signa adponit

PRæsagium hujus affectus quoad consueta tria requisita maximè & in hoc affectû requiritur, ideò quæ ad PROGNOSTICA spectant, paucis exhibemus.

1. Itaque respectu SALUTIS ac MORTIS, lethalis hic affectus per se non facilè erit, periculo tamen non carere, rectè cum multis sentit *Mercatus*, eoque periculosior erit notante *Fonseca in observ.*, quo impetuosior affluxus humorum, metuendum enim, ne cum nervo optico cerebrum graviter afficiatur ac compatiatur. Periculosior quoque habetur inveterata quam recens, in quâ adhuc spes reconvalescendi

 meli-

melior. Prout oculi plures partes læſæ, & humor peccans intimius infixus, eatenus gravior eſt affectus. Cauſæ quoque vehementiores malum conſtituunt periculoſis.

II. LONGIS affectibus hic noſter meritò ad numerandus venit, non enim tam ſubito ſuffuſio extirpari poteſt, licet vel herculea opponantur remedia. Longitudo variat reſpectû cauſarum, temporis maturationis, quo deponi queat, & aliorum accidentium. Confirmata longius requirit tempus, præ incipiente.

III. MODUS EVENTUS *Salutaris* ſalutari poterit, ſi gravia ſymptomata non ſint adjuncta & æger aliàs bene diſpoſitus. Ad ſalutem terminari ac benè curari vult *Celſus l.7.de re medicâ*, ſi color aquæ marinæ ſimilis. Si curatio & præcipuè depoſitio legitimè peractâ, ſi poſt eam viſus ſenſim accedat in læſo oculo, ſpe bona adimplent ægrotum. Si in tempore dimidii anni poſt depoſitionem non fiat nova collectio circa locum priùs affectum, recidivam non metuendam eſſe, cum *Paræo, Aquapendente* àc *Severino in med. effic.* aſſerunt multi. Si vero ob humorum ferociam gravîs læſio, præcipuè cerebri contingat, aut alius affectus in ſenibus maximè adjungatur, ſæpè debitum naturæ perſolvendum.

CAP. IX

curationem inchoat

PRælibatis nunciis quæ ad Theoriam noſtri affectus ſpectant, ipſam Praxin ſubjungimus, accedentes rectâ viâ ad

CURA-

CURATIONEM. Hæc legitimè institui vix poterit, nisi requisita necessaria, utpote INDICATIONES ac PRAESIDIORUM MATERIAE prius benè considerentur.

Suadet itaque CURATORIA indicatio quàm citissimè, tutissimè ac jucundissimè fieri poterit, affectum exterminare cum omnibus reliquiis.

PRAESERVATORIAM juxta allaborandum, quò causæ quales etiam sint radicitus extirpentur, intemperies ac indispositio partium tàm mittentium quàm recipentium corrigatur, & alia noxia abigantur. VITALIS suum etiam conferre debet in alterandis ac præcipue roborandis partibus.

Hæ omnes intentiones quò in effectum deducantur, materiæ præsidorum ex tribus consuetis fontibus hauriendæ, per hæc siquidem media in effectum deducitur finis, indicationes quem proposuêre.

CAP. X
fontem chirurgicum salutat.

EX CHIRURGICO fonte petenda sunt varia. Omnium autem primo si plenitudo adsit totius, ad VENAE SECTIONEM præmissis tamen præmittendis, laudabilem illam evacuationem recurrendum, atque Vena in cubito tundenda est, juxta admonitionem Galeni, inquientis, nunquam à particulari loco sanguis ducendus, nisi prius plenitudo tollatur ex universali. E particulariter evacuantibus vasis sanguifluis si sanguis mittendus, *frontis venas* eligunt multi, quidam

 pon-

ponderantes monitum *Coi 5. aph. 68.*, quod affecta capitis parte posteriore, sanguis sit mittendus in anteriore, vice versa & vasa *pone aures* tangunt phlebotomo, patronum adducentes *Pergamenum 13. m. m. 15.* idem jubentem. *Cephalicæ manus* apertio etiam non erit infrugifera.

Tempus sit post præmissa alia, quæ antecedere debent. Partitis vicibus è distinctis locis mittere convenit. Reicit quidem æquè phlebotomiam ac arteriotomiam *Jacob Sylvius tr. de cur. morb. intern. c. de suffus.*, dum metuit, V. S. cerebrum valde refrigerari, & tunc aquas copiosius ad oculos mittere, quæ tamē ratio non sufficiens videtur V. sectionem suâ hic utilitate privare.

Succedunt è vena & arteriâ simul vacuantes CUCURBITULAE, scapulis, brachiis & dorso applicatæ, cum scarificatione, quarum commoda explicat *Illustris D. Rolfincius Patronus, Præceptor & Promotor meus æviternum suspiciendus meth. med. spec. lib. 3. cons. 4.*

Succum à sanguine diversum evacuant sensibiliter VESICANTIA, ex cantharidibus correctis parata, in postica cervicis parte posita. Harum utilitas magni habetur apud *Severin. in chirurg. efficac. part. enarrat.*, cum specialiter humores ab oculis reducat. Per hæc in nucha ac brachiis applicata, frustra prius adhibitis multis aliis remediis, binos per aliquot jam septimanas ita suffusione laborantes, ut per crassam quasi nebulam parum viderent, Excellentissimus Dominus Præses perfectè restituit, uti ex relatione ejus habemus. Circa applicationem vesicantium æquè ac fonticulorum cautelas quasdam videre licebit apud *Joh. Bapt. Sidonum in iatrosophia miscellan. tr. 44.*

FONTICULI, emissaria serosorum humorum salutaria si contumax videatur malum & duræ cervicis, conveniunt,

niunt, duro enim nodo durus quærendus cuneus, SETACEUM etiam cervici applicandum, nam vi setacei oculus liberatur à nova fluxione, annotante *Capivaccio prax. lib. 1. p. 574.*, confirmante *Sylvatico cent. 2. observ. 9. ac 10.*

His si nihil medicus efficere potest, atque materia successivè ita concreta sit, ut nulla spes discussionis residua, operationem, quæ depositio cataractæ dicitur, ut ad manus sumamus, necessum est. Hæc vero non cuivis imperito idiotæ, sed perito & idoneo committenda, qui aliquoties exercitatos viderit operantes. Nam difficilis est hæc curatio, & inter operationes chirurgicas difficillima & subtilissima, ut habet *Celsus & ex eo Sennert. part. prax. 1. p. 861.*

Ad hanc ubi veniendum, medicus ut toti prospiciat, det operam, hoc est præmittat purgationes cuique temperamento & ætati convenientes: Victum etiam præscribat talem, qui inflammationem prohibeat: Num oculus labe aliqua sit affectus, num capitis dolore, tussi, vel sternutatione frequenti eo tempore patiens afficiatur nec ne, sciscitetur.

Si horum aliquid adsit, melius est differre quam instituere operationem. Hanc depositionem, prout instituatur juxta *Guidon Cauliacens. tr. 6. doctr. 7. chir. magnæ. Celsum l. 7. cap. 7. Amald. Villanov. 1. breviar. cap. 14. Joh. Vigon. l. 4. chirurg. cap. 7. Hier. Fabric. de oper. chir. tit. de suffus.* maximè periculosam esse, redire post eam pelliculam & voto non respondere, asserit *Paul. Zachias l. 8. tit. 1. quæst. 7. medic. legal.* Monet præterea diligenter *Ludovic. Septal. animadv. ac cantion. medic. l. 6. §. 10.*, in depositione cavendum esse, ne adsit tussis, quando acus infigenda, sic enim eam facilè profundius

pelli-

pelli cum damno. Post depositionem quoque tussis nociva, quia pelliculam depressam facile iterum repellit, si autem rectè operare vult, eligat sibi locum luminosum, diem, serenum, tempus matutinum.

Tempus depositionis generale illud est, quando pellicula satis incrassata. Speciale nonnulli eligunt in Lunæ oppositione non in conjunctione. Intelligendum non momentum ipsius oppositionis, sed unus aut alter dies post eam. Alii vitare jubent existentiam ☉ in signo ♈, à 22. Martij ad 22. Aprilis. *Vid. Illust. Rolf. supra cit.*

Operator autem ministros habeat habiles. Adstantes etiam ne operanti molesti sint, strenuè adhortandi. Ipse verò omnia quæ facienda sunt prævisa habeat: ne quid dubii ipsum in operatione interturbet. Præparet quoque omnia ad operationem necessaria, antequam eam aggrediatur.

Acum artifices probatissimi eligunt ex argento, vel ære inaurato paratam. Fidem adhibet *Aristot. 1. Sect. problemate 35.* ære vulneratos facilius sanescere, quam ferro: tàm quòd æs levius sit & minus dolorosum, quam ferrum, tàm quòd æs peculiariter juvet oculos, quod patet in illis, qui versantur in ære.

Punctionem nimirum instituat acu rei aptà: Quâ verò in oculi parte acus immittenda controvertitur. Dixerim oculi partem ab angulo exteriore à regione suffusionis esse tutissimam, tali modo etiam catarractâ in utroque oculo depositâ, visum recuperatum in quodam *Regiomonti in Borussia* vidi.

Acu itaq; immissâ humorem concretum quantum fieri potest deponat, quo deposito (non enim ut somniavit *Guido*, & cum illo *Mercat9. lib. prax. 1. c. 21. pag. 135.*

Pun-

punctione acû factâ, & canale immisso exsugi potest) depositus humor depressus potius linquendus, quam extrahendus, ob metum ampliationis foraminis. Nec consultum acum sæpius circumvolvere, sed rectà iterum extrahere. Operatione ita peractâ albumen ovi alumine crudo mixtum, cui nonnihil boli armeniæ inspersum, stupæ cannabis obductum, oculo imponendum, & æger in lectum reponendus. In lecto jaceat supinè capite elevato, conclave sit caliginosum.

Æger autem tamdiu in lecto detinendus usque dum oculi ab omni labe mundati, atque sanitati pristinæ DEO benedicente, restituti fuerint.

Chirurgia transfusoria adeò commendata an hic aliquid faciat, quærit *Barthol. Santinelli tr. confusionis transfusionis*, & absolutè negat.

CAP. XI.

fontem pharmaceuticum considerat.

PLato literarum antesignanus, in dialogis suis monet, oculum non confortandum esse, nisi capite prius purgato. Medicus autem methodi studiosus particularem capitis evacuationem non instituet, nisi purgato prius toto corpore, ex quo excrementorum illuviem sæpè recipit sol hic microcosmicus.

Sequemur ergò communem & veram medendi methodum, & in principio statim de iis, quæ vim educendi noxium possident, ex PHARMACIA quædam exhibebimus.

Curationem hanc ex pharmacia cum non æqualiter explicent omnes, pauca hic monenda. Quidam utpote per diſcutientia, alii per incraſſantia peficiendam volunt, valdeque utraque diſſentientium pars pro ſuâ dimicat ſententia, uti apud citatos à nobis autores videre licebit. Paucis noſtram explicamus mentem; videntur diſcutientia prodeſſe in incipiente, in eâ verò quæ jam intimiores poſuit radices, per incraſſantia promovere maturationem concreti humoris ad depoſitionem, convenit.

Initium fiat à leni *digeſtivo*, facilè parando. Hoc purgans ſequens comitetur lenius.

℞. Pulv. laxat. veget. ℈j. elæoſach. aniſ. roſmar. ana. giij. ⊖is euphraſiæ gj. miſce S. Laxier Pulver.

Deinde humores *præparandi*, id quod ſequenti fieri poterit ratione.

℞. rad. aſparag. cheref. leviſt. ana. ℥ß. caryophyllat. ʒiiß. herb. fœnic. aneth. euphraſ. c. fl. anagall. purpur. ana. p. iiiß. ſummitat. beton. c. fl. ſalv. c. fl. fl. calend. pæon. ã. p. ij. ſemin. 4. carminat. ã. ʒiij. nigell. ℥j. leviſt. dauc. ã. ℨiiß. cortic. citr. ʒß. coq. omnia conciſ. contuſ. ſ. a. in ſ. q. aq. fænic. euphraſ. chelidon. in vaſe bene clauſo. colaturæ ℔ iß. add. ſirup. de pœon. beton. ana. ℥j. mell. anthoſat. ℥jß. ſirup. de duab. radic. ℥j. æleoſ. fænic. anis. ana. g xv. m. f. potio, in vaſe conſueto S. præparir Tranck auff etlich mahl.

Aq.

℞. Aq. euphras. majoran. rosmar. beton. ana ℥iij. syrup. fl. pæon. euphras. a. ℥ij. spir. ros. rubr. frag. ʒij. elixiris cephal. ʒj. misturæ. simpl. ʒß. M. S. Alterir Tränclein auff etlich mahl.

Datur singulis diebus bis ℥j. quamdiu durat. In hunc modum autem præparatis humoribus *purgatio* dehinc adhibeatur conveniens, & quidem potest subjungi purgans validius, mineram cacochymicam altiùs indagans.

℞. magist. scammonii g iv. pulv. laxat. veget. ℈j. elæosacch. citr. g iiij. M. S purgier pülverlein.

Infusum seu cerevisia medicata si placuerit, ex usu potest esse talis.

℞. fol. euphras. majoran. lil. conval. rosmar. a. mß. flor. calend. consol. regal. bellid. fl. pleno, rosar. a. p. ij. sem. anis. fænic. rorismar. ocimi a. ʒij. sen. alex. s.s. ℥ß. gial. nigr. ʒiij. rhabarb. ℥ß. agric. ʒij. cinam. caryophyl. a. ʒß. ⊖is ♀, ℈j. euphras. g vj. Concisa contusa s. a. dentur ad chartam S. species zum Kräuter Bier.

Ad evacuationem totius corporis repeti queunt pro leni & validiori purgatione antè proposita medicamenta.

vel

℞. MP. lucis maj. aurear. a. ℈ß. extr. troch. alhand. g iij. scammon. g vj. Misce cum syrupo de hyssopo F. Pil. Nō. xxxj.

Repetantur hæ purgationes validiores singulis mensibus, instante plenilunio.

An etiam *vomitoria* in curatione adhibenda, disquirit *Horstius decad. 3. probl. therapeut. quæst. 3.*, & affirmat in

 suf-

suffusione per consensum ventriculi factâ. Consimilis est opinio *Jacobi Sylvij tr. curat. morb. intern. c. de suffus.*, ubi vomitoriis materiam vacuandam vult, si tempus æstivum, æger ad vomitum pronus, & bilis in causa.

Taliter evacuato & purgato corpore ad medicamenta humorem p. n., *discutientia* & *abstergentia* manus movendæ: Præscribuntur autem nobis ista à capivacc. & Senerto ut:

℞. rad. chinæ ℥ij. sarsaparill. ℥iij. infund. horis 24. ℔ ij. aquæ s. coque ad medietatem, sub finem adde flor. euphrag. verben. chelidon. a. mi℔. sem. coriand. ppt. ʒvj. Hujus ʒ vj. assumantur tempore matutino. Vide ipsum *Senert. de suffusione.*

Capiti quoque *avertentia* catharrum oculosque *corroborantia* applicari queunt, ubi similia eligenda sæpè, ac in ophtalmia censet *Anton. Saporta l. 1. de tum. c. 26.* Ore etiam assumi possunt medicamenta, quæ humores crassos attenuant, cerebrum & principales partes corroborant, ut sunt conserva betonicæ, salviæ, euphragiæ & id genus alia.

Masticatorium in pastilli forma potest tale esse.

℞. summitat. majoran. p. 1. sem. fænic. carv. a. ℈ij. cubebar. cinam. a. ℈j macis. mastich. a. ℈iß. rad. pyrethr. ℈ij. sacch. canth. ℥ß. misc. cum mucil. tragac. aq. salv. extr. fiant pastilli, quorũ unus, per vices consuetas in ore masticetur, sputum ejiciatur.

Rotularam in formâ masticatorium tale esse potest.

℞. Spec. dianthos ʒj. ol. anis. fænic. majoran. a. g xiij. caryophyll. g. v. sacch. in aq. ros. & fænic. solut. ℥iij. M. F. Rotulæ majores masticetur una singulis horis matutinis.

Alteram-

Alterantia universum corpus & oculos, sunt subjungenda. Habere debent vim non solum superfluos humores exsiccandi, verum etiam cerebrum & oculos roborandi.

Inter Interna præstantissimus erit usus magnarum antidotum celebratissimæ THERIACAE.

Hujus interdum manè, interdum vespertini porrigatur ℈ß.

Electuarium hoc magnam promittit utilitatem.

℞. Conserv. anthos, fl. beton. salv. a. ʒjß. euphragiæ. ʒij. cond. cort. citr. ℥j. nuc. jugl. n. iij. pyror. moscatell. n. vj. spec. diambr. ʒj. ol. fœnic. anis. a. ℈j. cum syrup. de salv. serpill. ana. q. s. M. F. Electuarium, detur ægroto cubitum ituro semper ʒj.

Necessarius erit usus cujusdam decocti calefacientis & exsiccantis, ex herbis, radicibus, floribus, seminibus, cephalicis, ophtalmicis, quibus addi potest portio ligni quajaci, visci quercini. Hoc utatur per plures dies. *Vid. Illustr. Rolfinc. meth. med. spec. cons. p. 365.* *Specificorum* internorum catervam apud *Horstium l. 2. de sanit. tuenda cap. 4. & lib. 2. observ. de morb. capit. obs. 39. River. loc. cit. Fischer. d. loc.* & plures videre cum liceat, nolumus repetendo molesti esse. Butyrum ♁ij hic singulariter extollit *Libav. part. 1. apocal. hermet. cap. 8.* Caro viperina arcanum ferme *Ben. Sylvatico, cent. 2. obs. 9. & 10.*, ut & ossa sæpiæ cum saccaro candi. *Mures coctos* ut evporistum cum efficaciâ singulari quendam empyricum suffusione molestatis commedendos dedisse, vidit *Bern. Gomesius l. 1. de sale c. 21.* Singularia quoq; ex magnis autoribus congesta vide apud *Plemp. in ophtalmogr. loc. cit.*

EXTERNA topica dicta insuper præmissis attenuantibus & extergentibus adhibenda & applicanda. *Galen. & ex eo Capivac.* fel cum succo marrubii & melle, ut & myrham ac piper in æquali dosi cum melle commendat. Probatur etiam succus fæniculi. Sæpè enim serpentes visum frigore hyemali læsum, fæniculi esu sibi restituunt, plura petantur è Practicorum scriptis. De topicis hisce monet *Joh. Rhodius in analect. inserendis* §. *303. ex Scribon. Larg. compos. 38.*, ne sint acria quæ inungantur, præcipuè, si dolor ac capitis gravitas urgent. Specialia hic à quibusdam autoribus commendata addimus. *Fel piscis* cum quo Tobias curatus fuerit, supra omnia specifica extollit *Hieron. Bardi in med. polit. cathol. c.4. artic. 2.*, præcipuè si per alembicum destillatum, & solum hoc fecisse in desperatis suffusionibus, per experientiam crebram confirmat. Modum operandi fel præcipuè hujus piscis perficere dicit, (sicuti & in aliis tàm volatilibus, aquatilibus, quam terrestribus,) quatenus acredine & caliditate temperata attenuet humorem impactum, ac paulatim dissipet, sicuti fel tauri omnes impetigines ac maculas faciei dissipando repellat.

Inquirentibus prætereà qualisnam piscis ille fuerit: satisfacit, statuendo fuisse *vitulum marinum*, qui piscis aspectu immanis, facie torvâ & oculis nigricantibus retortis, ad littora decurrit imminente nocte, ibique decumbens advenientes hiante rictû intueatur, reboatus ac dentium serratorum stridore omnibus maximum incutiat timorem. Commendat prætereà dictus autor inter specifica externa, aq. & ol. ovi totius cum testa; Fel capræ, cervi, præcipuè au-

autem lyncis , si hoc cum oculis lyncis destilletur & camphoræ parum addatur.

Paschalio loc. cit. sequens principaliter inservit;

℞. Fel.capr.perdic.à ℥ß.succ.fænic.℥j.ol.fænic.℈ij. aq.mell.℥ij.aq.ex rosis florentibus manè stillantis ℥ß.m.f.l.a.collyrium.

Sequens quoque non contemnendarum est virium.

℞. Vin.alb.ʒiij.succi fænic.s.sedimento ℥ij.camph.ʒj. tut.alexandr.ʒjß.ZZib. ʒß. mell. ℥iv. Digerantur omnia per 10. dies, filtrentur, filtrati aliquot guttæ singulis diebus instillentur.

Pulv. *capit. hirundin.* cum aq. urinæ pueri & fænic. destillata mixtus, præcipuè si sagapeni quid admisceatur, singulare est *Paschalio*, ut & *fel viperæ*, de quo tamen monet, quod quando adhibeatur, præservationis loco semper theriaca cum aqua in ore sit tenenda, ne fortean venenosum quid in ventriculum aut thoracem descendat. Ita *chelidonium majus* præcipuè prodesse, observavit externè æquè ac internè *Dominic: Chabræus in append. ad icon. ac sciagraph. stirp. tit. de chelidon.*

Vel. Decocti seq. vapore bis in die oculi fomentari possunt.

℞. Herb. & fl. verbassc. malv. ana. mj. euphras. fol laur. ana. mß. anthos. summit. verben. chelidon. ana. p. iij. sem. lin. fænugr. ā. ʒiij. psyll. fænic. ā. ʒij.coq.c.s.q.aq.s.ad dimidium.

Postmodum levamine tecto capite oculis vapor exci-

pi-

pitur per tempus, ſacculusque ex iisdem paratus, aqua illa imbutus & expreſſus oculis imponitur.

Poſtea continuari poteſt ſequens *ophtalmicum.*

℞. Extr. chelidon. ʒij. fell. carpion. bubul. ā. ʒj. paululum coquendo inſpiſſentur, dein. add. tut. ppt. ℈ß. myrrh. ſacch. Saturn. ā. g. vij. mell. par. M. Hujus gran. 1. vel alterum calidè oculo imponitur.

Nonnunquam & ſequens *Aqua ophtalmica* in uſum trahi poteſt.

℞. Aq. chelidon. fænic. rut. ad. ℥jß. ſucc. rut. chelid. rec. expr. ā. ʒiij. fœnic. ʒß. croc. or. g. iiij.

Paululum ebulliant invicem.

De hâc nonnullæ guttulæ tepidè oculis inſtillantur, ægerque ſingulis ſeptimanis ſemel pilulis cephalicis utatur.

Inter dicta externa ponit curationem per anhelitum ſingulari loco *Schmitzius loc. cit.* Si nempe quis jejunus fœniculum cum maſtiche mandat, & dein halitum ſæpius in oculum affectum inſpiret.

CAP. XII
cum fonte diætetico claudit.

VEriſſimum eſt medicorum & vetuſtiſſimum Galeni illud: qui rectam VICTUS RATIONEM ſervare nequeunt, illis ſupervacaneum præſcribere medicamenta.

Omni

Omni itaque ſtudio ſuffuſione laborantibus imperanda diæta eſt, quæ morbo & cauſæ ejus ſit contraria, ipſi verò laborantis corporis parti affectæ ac viribus ſimilis.

Conſiſtit autem DIÆTA in juſta rerum non-naturalium communiter dictarum moderatione, ubi primò conſiderandus eſt.

Aer, qui ſemper contrarius ſit cauſæ morbificæ, ſi enim malum ab humoribus pituitoſis ortum ducat, ad caliditatem & ſiccitatem, ſi à melancholicis, ad humiditatem, ſi à bilioſis, ad frigiditatem inclinet: ſi naturâ craſſus, nebuloſus, obſcurus, arte corrigatur per ſuffitum ex fol. euphraſ. fænic. majoran. lign. aloës. thur. &c. paratum.

Cibum quoad & *Potum*: utatur æger victû diſſipandi vim habente. Panis ſit benè fermentatus, mediocriter ſalſus, cui ſemina fæniculi vel aniſi admixta. Condimenta cibi ſint ex herbis oculariis, utpote euphragia, betonica, fœniculo, ſalvia & reliquis appropriatis ophthalmicis. Carnes dent gallinæ, capones, alaudæ &c. Picarum & hirundinum carnes multi ſpecificè commendant. Ita cerebrum hirundinum coctum, cum melle mixtum, ut appropriatum laudat *Galen. l. de theriac. ad Piſonem.*

Caro leporum juniorum bonum & laudabilem præbet ſuccum, quâ de re vide *G. l. l. V. de alim. facult. Quercet. diætet. polyhiſt. l. 3. c. 4. Henr. ab Heer. in obſ. Illuſt Rolf. in diſſ. de melanch.* Ova recentia ſorbilia ejusdem ſunt argumenti. ⊖ euphraſiæ cum communi mixtum in uſum vocari poteſt.

Ciborum repletionem fugiat, per abſtinentiam ſiquidem & jejunium præcipuè hunc affectum curari,

 do-

docet *Paschal. loc. cit.* Fercula pingvia, lac, caseum, carnem porcinam, carnem anatum vitet, A piscibus paludosis, salsis, & aliis rebus salitis & piperatis abstineat.

Potum præbeat cerevisia benè defecata, nec sit minus recens, aut vetus acorem contrahens, vinum toto curationis tempore ipsi noxium, nisi sit ὀλιγοφόρον, cui fasciculus ex euphras. borrag. pimpinell. injiciatur. Duplex inde sentiat æger commodum, nam & color oculos reficiet, & herbæ proprietate sua auxilium adferent.

Somnus & Vigiliæ, Motus & Quies medium observent.

Quo ad animi παθήματα, æger bono animo & hilaris esto. *Venus* improba vale. *Alvus* sit lubrica, remorantem sollicitare convenit jusculo ex prun. Damasc. confecto vel glandibus & suppositoriis mitioribus.

In mulieribus *menses* tempore ordinario fluant.

Quibus *fluxus hæmorrhoidalis* familiaris, eum quoque exsiccari non patiantur, observato tamen μηδὲν ἄγαν.

Hæc jam de suffusione pro scopo nostro dicta sufficiant. Ἀυτοψία enim in hujus curatione plura demonstrabit, ad quam quoque nondum his satiatum remittimus.

μόνῳ θεῷ δόξα.

REISSIUS ad summos jam nunc adspirat honores,
His Deus adspiret commoda mille precor.

Nobil. ac Cl. Dn. Candidato ita ex animo gratul.

Sebastianus Niemann / D.
P. P. & Superint.

CLARISSIMO
DN.
REISSIO,

ſacratæ Medicinæ Candidato digniſſimo,
Pro LICENTIA ſupremos in arte apollineâ capeſſendi honores publicè diſputanti,

FELICITER!

adclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS,

Phil. & Med. D. Pract. ac Chimiæ P. P.
Academiæ Senior.

Magno de magnis dum ſcitè diſſeris auſu
præſidiis, *cataractam* quæ diſpellere poſſunt,
gratulor ex animo. Factis extendito famam
ulterius, ſic per virtutis amabile templum
tramite felici migrabis honoris ad ædem:
Nec non grata tuos dignâ mercede labores
PATRIA compenſabit, ubertim congrua reddens
præmia, quæ virtus, tua quæ doctrina meretur.

INgenii ſic promis opes, ſpecimenque laborum
edis præclarum; hinc dat TIBI Jena decus.
Conatum meritò collaudo, & ſummus Jova
ut TIBI decernat commoda cuncta, precor!

Ita ex animo Tibi Nobil. ac Præclariſ.
Dne. DOCTORANDE *adprecor*

PRÆSES.

Conceptum fœtus sequitur. Quæ pectore avaro
Hausisti dudum magnorum aperta virorum,
Nunc docto prodis partu. Suffragia dextra
Quis neget ? & quis non felicia cuncta precetur.

Gratulabundus hæc Nobilissimo Dno Doctorando,
Amico suo singulari, apposuit

D. Burchardus Henricus Tilemann.
Advoc.

FAc cape! quid cessas ? TIBI purpura & ipsa Corona
Jure datur, tandem Meta laboris honos!

Sic Nob. & Cl. Dn. Udo cognato ac amico suo colendo pro insigniis & honoribus Doctoralibus consequendis Disputanti candidè applaud.

Georg. Andreas Färber
J. U. Dd.

QVid terras alio plantis pressisse calentes
Sole, quid Aonidum fonte rigasse juvet
Ora, Decus juvenum! dum Sole capessis eodem,
Quæ meruit virtus, ritè brabæa, doces.
Hinc Diadema Tibi jam grator, quæque supersunt
Comprecor ut grater præmia digna brevi.
Hanc Mülhusa tuam geminam pia suscipe prolem
Et tutam gremio fac residere tuo.
Hac veniente tuas (dextrum precor omen) ad oras,
Parca cito fugiens tramite terga dabit.

Pauculis hisce honori Nobiliss. nec non Clariss Dn. DOCTORANDI, Civis, Fautoris & Amici sui à multis annis familiarissimi gratulab. adplaudit

M. Tobias Eilmar.